

XXVIII

AD LYDEN

Glyconico-Asclepiadens

Fēstō quid potius diē
Neptūnī faciam ? Prōme reconditum,
Lydē, strenua Caecubum,
Mūnītaeque adhibē vim sapientiae.

Inclīnāre merīdiem
Sentīs ; ac, velutī stet volucris diēs,
Parcis dēripere horreō
Cessantem Bibulī cōnsulis amphoram ?

Nōs cantābimus invicem
Neptūnum, et viridēs Nēreidum comās :
Tū curvā recinēs lyrā
Lātōnam, et celeris spīcula Cynthiae :

Summō carmine, quae Cnidon
Fulgentēsque tenet Cycladas, et Paphum
Iūctīs vīsīt olōribus :
Dīcētur meritā Nox quoque nēniā.